



NVMMVS OBSIDIONALIS
 VRBIS ALCMARIÆ, AB HI-
 spanis tentatæ. Anno Chri-
 sti 1573.



Ispani civitate Harlemoni potiti, Alcmariam civi-
 tatem repentino conatu consternatam tentant. Ac
 primo quidem appulsu propugnaculum ante ur-
 bem, à civibus de novo constructum, capiunt: in po-
 testatem redacto, circum urbem fossas ducunt: mu-
 nit ones erigunt. Non multis interjectis diebus ma-
 jora tormenta, numero viginti promovent: quæ
 ejaculatis plusquam duobus pilarum millibus, in-
 gentem muri ruinam edidère. Oppugnatio itidem
 aliâ in parte moenium instituta fuit, in qua oppugnâtes, accurrentibus un-
 dique defensoribus, & summâ contentione dimicantibus, cum magnâ cla-
 de sunt repulsi. Toletanus, qui Alcmarienses ad unum omnes cadi destina-
 verat, videns non ex animi sententia negotium succedere, nec expugnan-
 dæ civitatis spem aliquam affulgere, quod propter impendens frigus, mili-
 tes sub dio amplius degere non possent, & tellus aquis undique obducta es-
 set, ne majus damnum ac dedecus reciperet, unde animi hostibus augeren-
 tur abductis à moenibus, magno cum labore, tormentis obsidionem
 solvit, ad Albanum Patrem, qui Amsterodami
 erat, reversus. *Dinothus.*

